B. N. C.
FIRENZE
1058
6

1058.6

Digitized by Google

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1058
6
LVIII
6

P. de Marcaſsus

CHRISTINÆ
SVECORVM, GOTTORVM, ET VANDALORVM SERENISSIMÆ REGINÆ, CARMEN.

PARISIIS;
Apud GVILLELMVM SASSIER, Typographum Regis;
viâ Reſtionum, propè Sorbonam, ad inſigne
duorum Turturum.

M. DC. LII.

QVamuis longa via eſt, nullique adeunda profano,
Vadite ſecurâ carmina noſtra rate.
Vos Chriſtina iubet vulgandis edita cartis
Tuta triumphales rurſus adire lares.
Ne vos ventorum, neue inclementia cœli
Terreat, inſanis aut grauis vnda fretis.
Hæc illa eſt regum ſolio præſignis ab alto:
Quæ pontum & terras ſub ſua iura premit.
Nulli fatorum fas eſt temerare quod audax
Non meruit Genio diſplicuiſſe ſuo.

CHRISTINÆ
SVECORVM, GOTTORVM, ET VANDALORVM SERENISSIMÆ REGINÆ,
CARMEN.

ARctoi Regina poli, miranda parentis
Progenies, quæ ſola Deas virtutibus æquas;
Innumeraſque trahis tua per veſtigia gentes
Attonitas tanto famæ quæ te ambit honore;
Poſt magnos animorum auſus, atque ardua vatum
Tentamenta, tui queis formâ & marte triumphi
Inſcripti Faſtis rerum per cuncta feruntur
Sæcula, & immenſum replent rumoribus orbem,
Eloquar? an ſtimulos, quibus alto à vertice Pindi
Iam reſides animos, deſuetaque corda moueri
Impellit toto ſpargit qui lumina mundo

Sanguinis effœti torpens inglorius horror
Obtundet, monituſque Deûm fœda otia vincent?
Turpis ab incœpto procul eſto iniuria noſtro,
Et tangat nullos, ſi fas, ea fama nepotes.
Pergite Pierides; conceptos mente furores
Euoluamus: auent dudum præcordia rumpi.
Tentemus dignos Muſis, & Apolline cantus:
Et decus, & clara acta iubent fœlicis alumnæ
Guſtaui, patrijs quæ nuſquam degener auſis
Diua per inſolitos tollit ſe ad ſydera calles,
Et totum aſſurgens votis iam damnat Olympum.

CLara fatigatis quà nautis ſtella refulget
Dedignata ſuos demergi fluctibus ignes,
Stat fortuna domus longos deducta per annos,
Quò Reges Regum diuerſo ex hoſte trophæa
Immiſêre ſuis veneranda per atria factis,
Exuuiaſque ducum cunctâ de gente petitas
Quà maria & montes Europam amplexibus arctant,
Et cogunt ſæuos humili terrore Tyrannos
Imperijs hærere ſuis, nec aperta ciere
Victori populo non fauſto prælia ludo.
Hic vbi iamdudum poſt vaſta incendia rerum,
Et debellatas vtroque ab littore gentes
Aurea Pax regnat miſeris incognita terris,
Et dantur meritis ſolatia digna Camœnis:
Hìc vbi Guſtaui virtus poſt multa furentum
Funera, poſt varios caſus, bellique labores,

Læta

Læta ſuos mittens æterna in tempora faſtos,
Extulit os cœlo ſacrum, & nutantia cernit
Sydera ad immenſam deflectere lumina famam,
CHRISTINAM votis hominum, & fati ordine naſci
Audierat Natura parens, cùm dextra ſuperbas
Admouitque manus operi, totamque recluſit
Congeriem rerum, quibus hoc miracula mundo
Formantur, cogitque polum ſibi plaudere factis.
Nuſquam alibi iuſſos voluit ſe ſiſtere Diuos.
Hìc vbi magna labor ſuperûm conamina poſcit,
Igneſcunt curæ, totumque exorat Olympum,
Et tacito impellit deſcendere numina cœlo,
Quò ſocias iungant mentes. Illa ardua toto
Naſcentem fingit niſu, perque omnia verſat,
Cœleſtes hauſtus mortali labe carentes
Vt ſpargat, gratos & pulchræ frontis honores,
Diuinamque afflet diuino in corpore formam.
Poſtquam exacta fides oculis, & cuncta videntur
Emendata ſatis, totoſque exſurgit in artus
Et ver perpetuum, & naſcentum gloria florum,
Et quodcumque domat mentes, ardetque tuendo,
Cætera turba Deûm præceps in prona recumbit
Obſequia, & magnos dans fauſto numine plauſus
Quidquid habet diuinæ auræ confundit, & illam
Ornat ouans, gaudetque vni diſpergere Diuæ.
Mars animos, Pallas mentem, Cytheræa decorem,
Dexter Amor placidâ rutilantia lumina flammâ,
Fataleſque ignes, victor quibus omnia vincit,

Phœbus habere dedit doctarum arcana ſororum,
Et Iuno inceſſum, majeſtatemque verendam,
Omnia mulcentes & triplex Gratia riſus,
Innumeris fari linguis Cyllenia proles,
Et verſare artes, ſua dum fortuna requirit,
Atque dolis ſuperos intendere fortior aſtus,
Ne virtus decepta ſuo ſe mancipet hoſti:
Sed dedignantes ad dulcia fœdera mentes
Alliciat, placidáque regat ſub pace rebelles.
Quiſque ſuas oſtentat opes, faſtûque ſuperbo
Emicat, atque ardens fœlici munere donat.
Hos inter, mundi Fatorum conſcia Parca
Intulit aurato fœlicia ſtamina fuſo,
Æternæque colo centenos implicat annos.
Hinc remouet luctus, morbos, triſtemque ſenectam,
Et quæcumque ſacræ poſſunt obſiſtere vitæ.
Addit fortuna ter centum gaudia: mille
Et belli lauros, & longæ pacis oliuas,
Et centum Reges, centum poſt terga relictas
Reginas, toto quondam miracula mundo.
Plaudite fœlices animæ, queis contigit vni
Seruire, atque olim tanto ſub numine naſci.
Vos manet alta quies, dum nos ludibria fati
Æternum mœſti ferro laceramur, & igne
Vrimur, & ſocios in viſcera condimus enſes,
Dum iuuat inſanos diro indulgere furori:
Et patimur manes, quos cum fortuna iocata eſt,
Impulit in noſtras fallax Sicania terras.

Noſcit vterque parens cœli mirabile donum
Attonitis inhians animis, & maxima laudans
Numina, fœlices aris indicit honores.
Nec mora, iam precibus deuota altaria feruent;
Templa ſonant, reboantque pij laquearia tecti.
Centum agnæ, centumque boum præſtantia fauſto
Corpora ſternuntur letho, totidemque iuuencæ:
Munera quæ ſolitus ſacratâ in veſte ſacerdos
Ferre Deis, fractis olim ſolatia rebus,
Nunc gratam genti ſuperûm teſtantia mentem.
Creſcit honos Diuæ, creſcit dum læta iuuentus.
Sed dum cæca ſibi ſenſim ſe arcana recludunt
Imperij, & magnæ veniunt in pectora curæ,
Ille, ille, heu rerum domitor! cui cuncta patebant
Regna, & florentes ibant ad claſſica turmæ:
Cui coniuratus Mauors, & Gloria præceps
Per medias acies, & longa incendia Regum;
Per ſtratos populos, mortes, ſtrageſque virorum,
Perque duces varios cœlo capita alta ferentes,
Atque exundantes fumanti ſanguine riuos
Siuêre æternâ cingi ſua tempora lauro,
Fatorum inuidiâ, mundi & formidine preſſus,
Poſtquam ingẽtem animam victrix dextra abſtulit hoſti,
Occubuit, pulchramque adijt per vulnera mortem,
Æterna æternæ linquens monumenta ruinæ.
O ſuperi! quæ tanta animis cæleſtibus auſa!
Illa clade animi tandem, vireſque receptæ,
Atque orbis victus magno ſe attollere niſu

Cœpit, & ingenti paſſim ſæuire tumultu.
Ardet amor belli, & ſcelerata inſania pugnæ.
Hinc accinctus Iber, domitos iam marte Leones
Oſtentat, prædæque inhians victoris, acerbas
Intentatque minas, & inania murmura iactat:
Hinc rediuiuæ Aquilæ paſſim, populique feroces
Addunt ſe in campos, & vaſto milite terrent.
Tu tamen, extremus quamuis dolor implicet artus,
Regina, & magni deplores fata parentis,
Accepto tandem ſceptro audax excipis arma,
Auſpicio, & patrias reuocas ad prælia turmas,
Mirandamque animam mirando in corpore verſans
Siquà fata ſinant patriæ, nec Iupiter obſtet,
Non refugis ſtrictis, Virgo, te inferre maniplis:
Atque impacatos hinc ferro fundis Iberos
Illinc Germanos, & corde & mente feroces.
Poſtquam nulla quies menti, totuſque parentis
In te fulſit honos, dilecta & gloria matris,
Et nullo virtus frangi certamine poſſe
Apparet, victas adigis per fœdera turmas,
Indulges paci, tua teque in regna reponis.
Ex illo mentem refoues cœleſtibus auris,
Cogis & ad magnos animum ſe inferre labores
Impendens populo curas, atque otia Muſis:
Dumque aliæ rerum dominæ, dominumque potentum
Vel rident, vel penſa trahunt, vel mollia Serum
Stamina per varias fingunt diſcreta figuras,
Et centum rerum ſpecies animantur in auro,

Aut

Aut inconcinnos euoluunt pectine crines
Ad ſpeculum, aut molles frangunt ad plectra choreas;
Aut feruore vagæ ludunt, cupidæque videri
Attonita accendunt radianti compita curru:
Aut ſtultas abſcondit opes ferus ardor habendi,
Vel populi in cenſus, cladémque & vulnera pendent,
Dum latas vrbes ſtricta in mapalia vertunt
Et dis inuitis furit illaudata voluptas,
Tu ſola imperio gentes frænare ſuperbas
Subiectaſque ſoles placidâ mulcere quiete.
Tu ſecreta deûm ſcrutari, inquirere cauſas
Naturæ obſcuras, fatique arcana reſoluens
E falſis vera euoluis, ſtudioque perenni
Mortales adigis clara in certamina diuos,
Et magnam attollis victrix ad ſydera mentem.
Hinc accincta armis, formaque habituque Dianæ,
Ardua fumantem ferratâ calce fatigans
Flectis equum, ſociaſque iubes è naribus iras
Fundere, & intortos ad nutum ferre recurſus,
Aut rapidos glomerare gradus, vel aperta volare
Per plana, atque fugâ celeres præuertere ventos,
Atque habili niſu præceps, quæ te ambit ouantem
Regali clamore vocas ad talia turmam.
Quiſque ſuas damnat ſortes & inertia facta.
Poſt ſtratas timidaſque feras, & inania corda,
Si qua lupum rabies mittit de monte ferocem,
Informemue vrſum, vel ſæuum dentibus aprum;
Iratis properas virgo concurrere monſtris,

Et tua dextra calens fato contundit eodem
Cæca tuo quæcumque offert fortuna labori;
Virtute exſuperans cunctos, nec ſegnior illo
Qui ſeſe dignum tam magna prole parentem
Præſtitit, Europam cui fortia facta furentem
Submiſere, ſuis & debellata triumphis
Imperia, & populos, & ſtratos marte Tyrannos.
Quiſquis amat faſtus, & inania pondera rerum,
Congerat argentum, fuluum ſibi congerat aurum,
Munera quæ fatuis terris debentur & vndis:
Immenſos ſternat montes, ad ſydera valles
Attollat, magnos per ſtructa canalia riuos
Infundat, celeres cliuoſo tramite fluctus
Præcipitet, claris & lymphis verberet aſtra.
Læta ſuis demens ponat palatia fundis,
Excelſſas quercus in verſum differat, vmbras
Miſceat, æſtiuos iubeat diſcedere ſoles,
Et pluuias imbreſque ſuo indulgere calori.
Exſurgant illi flores, queis Flora renidens
Vere nouo gratis dat texere ſerta puellis:
Collibus & dulces Pater ebrius excitet vuas,
Flaua Ceres tumidas campis inducat ariſtas,
Et Pomona ſuos exornet fructibus hortos.
Viuant, & nullo tangantur frigore myrthi.
Alba roſis ſemper iungantur lilia, ſemper
Melle fluant ſentes, ſudet rubus aſper amomo.
Stet numerus pecori, rumpantur & horrea meſſe,
Lactentes ardens & purpura veſtiat agnos

Diuitiæ votis, & votis gaudia certent;
Non equidem inuidia eſt: Maioribus vrimur aſtris.
Nos incrementi magni, fatique deûmque
Ducit amor, pulchro & regnans in corpore virtus,
CHRISTINÆ virtus ingens, quâ nulla priorum
Altius extremos cordis penetrare receſſus
Eualuit, ſæuas ad nutum & vertere mentes.
O ſola excelſas non dedignata Camœnas,
Te Regina Deam proni veneramur, & aris
Æternum, & templis magnos ſpondemus honores.
Tu noſtras admitte preces, votiſque vocari
Te ſine, neue animos iam dedignare piorum.
Stockholmæ dum ſancta domus, dùm æterna poteſtas
Dùm regum reges & qui dominantur ab illis
Extra orbem imperium, famam trans ſydera mittent:
Dum ſuus enſis erit Deus omnis, marte ſecundo
Sub pacis leges totum qui temperet orbem,
Virtutis monumenta tuæ immortalia viuent;
Et te nulla ætas venturo diſtrahet æuo:
Non ſi extrema dies cœlos diſpergat, & omnem
Compagem rerum ſupremus deſtruat ignis,
Inque nihil redeant perituri fœdera mundi.
O decus, ô noſtri præfulgens gloria ſecli
Diua potens, & ſola deûm quæ digna hymenæis
Quam ſuperas victrix animis atque arte Mineruam
Cogis velle tibi ſe virginitate ſecundam
Præſtare, atque tibi toto decedere cœlo,
Heu quæ fata tuis tàm auerſo numine terris,

Et mundo eripiunt dignam te principe prolem!
Et quæ vis ſuperum tandem fata iſta reſoluet!
Si tibi tantus amor raræ virtutis inhæret
Et nemo dignus tantæ conſortis honore,
At ſaltem menti ſuccurrat viuida quondam
Mortalemque Thetis non dedignata maritum
Atque olim Graijs ſalus & tutamen Achilles.
Sin te optata adeunt, nec te tanquam impia tangunt,
Mutamus mentem, placitiſque iraſcimur, at tu
Exin quidquid eris, iuſtis tamen annue votis.
Hiſtoria ecce tuas magnorum operoſa Pelaſgûm,
Poſt mille exactos noctis luciſque labores,
Gaudet adire aras, ſuplex tua numina poſcens,
Vt quas læta gerit radianti vertice lauros
Et patiare tuis ſeſe immiſcere coronis,
Et belli & pacis totam tibi cedere laudem.
Quos ferat illa duces, quæ facta ingentia noſti.
Si facilem inueniunt, nec dedignaris ouantes
Æternam ſperat ſuper aurea ſydera vitam.

P. de MARCASSVS.

1038.6

AD CHRISTINAM SVECORVM, GOTTORVM, ET VANDALORVM SERENISSIMAM REGINAM, SOTERIA.

PARISIIS,
Apud GVILLELMVM SASSIER, Typographum Regis,
viâ Reſtionum, propè Sorbonam, ad inſigne
duorum Turturum.
M. DC. LII.

1058:6

AD CHRISTINAM SVECORVM, GOTTORVM, ET VANDALORVM SERENISSIMAM REGINAM,

SOTERIA.

HEV quocumque ſolo, quacumque ex arbore nata
Tantumne auſa nefas ſuperi trabs improba, putre
Sacratis ſtramen pedibus quæ præbuit, altas
Atque Deûm ſobolem præceps demiſit in vndas!
Ecquis erit finis ſcelerum? proh fata! quid vltrà
Admiſſum terris? aut quo iam numine tutis
Eſſe licet, diri peragunt ſi talia manes,
Et rebus fatuis hæc eſt conceſſa poteſtas?
Vnde hæc ira Deum? vnde hæc imprudentia cœli?

Fortunæ ancipiti ſi vis non vana fuiſſet,
Æternum toto lugeret gloria mundo:
Nec ſeſe tanti damnaſſet criminis error,
Aut tanta impauidas ſtraſſet formidine mentes,
Infida humano generi ſi terra dehiſcens
Atlanta, Alcidem, Titaniaque aſtra, polumque
Cum dis æternis imo merſiſſet Auerno,
Infando & nocti ſociaſſet fœdere lucem.
Quid ſi factorum magnum venerata decorem,
Virtutum & famam, & famæ fulgentis honorem
Non retro egiſſent ſæuam pia numina ſortem?
Quæ nunc humanæ foret inclementia vitæ?
Quiſue horror quateret ſuperas inglorius arces?
Rupiſſent elementa fidem. Titanes Auerno
Laxati totum lacerarent cædibus orbem.
Arma armis, clades cladi, fata impia fatis
Certarent, reſideſque daret Bellona furores:
Et tantis impar monſtris exterrita tellus
Rurſus in antiquam caderet reuoluta figuram.
Nullus honos ſtellis ſtaret: Natura fatiſcens
CHRISTINÆ æternos orbes mactaret adempta,
Nec totâ rerum poſſet ſe implere ruinâ,
Aut inconceſſi placari iniuria facti.
Aſt aliter viſum fatis, quæ ſceptra tuentur.
Fama eſt cæruleos Neptunum, & Nerea quondam
Immenſum liquidis mundum qui amplexibus ambit
Occultas tenuiſſe vias ad Proteos antra
Qua mare Carpathium veſanis æſtuat vndis,

Quæſitum obſcuris manifeſta oracula rebus.
Aduentaſſe diem, velox nam Diua canebat,
Quo non ſueta mari demergi lumina, pontum
Innarent, ardorque nouus ſuccederet vndis,
Et gelida ex imo feruerent æquora fundo:
Sideribuſque ſuis orbatæ mille carinæ
Terrerent totum communi funere mundum.
Conſultus ſuper his vates grandæuus, opertas
Fatorum ſortes, & cæca arcana recluſit.
Tunc primum auditum cunctis immane minari
Et pelago & terris concordi fœdere Parcas,
Harpya immanis fuco cum tecta latino
Gallorum magnas fœdaret ſordibus vrbes,
Infami & monſtro iaceret Dea funeris offas
E cordis miſerorum altis penetralibus hauſtas
Et turpes vecors ferret patientia mores.
Tunc primum auditum Rabiem de ſedibus imis
Et nocte æternâ crudeli turbine adactam,
Infeſto cinctam tabo, & ſerpentibus atris
Sparſuram latos ſpirantia membra per aruos
Venturaſque ſolo pingues de ſanguine ariſtas
Quas metat, atque voret ſordens atque impius hoſtis.
Tunc primum auditum ſtellam de ſede Trionum
Octauam, fulgente auro, radijſque ſuperbam
Ante alias caram ſuperis, vaga numina ponti
Arſuram, caſus cum ſe miſiſſet in vndas.
Supplicium magnum, ſed quod velit ipſa tridente
Et cunctis emptum proles Saturnia regnis.

Aſt ſi ſacrati temerarent ſideris ignes
Aut vada pulſa fretis, aut atro vortice lympha,
Exitium immenſum cuncto tunc affore ponto,
Atque Deûm ſeros manſura ea fata nepotes.
Nec plura effatus, cæcis ſe condidit antris.
His dictis, animis diuûm labor additus, ingens
Cura ſubit; cui fata parent ea iuſſa, quis ardor
Iuſſus ab Arctoa poſſit deſcendere ſede.
Ex quo namque ferus per cælum plauſtra Bootes
Non longe à cara decedens impulit vrſa,
Nullam equidem octauam viderunt ſecula ſtellam
Clara Lycaonijs ſocios quæ iungeret ignes.
Rector aquæ, inſolita turbatus imagine ſortis,
Vt timor ipſe Deos ſæpe inter gaudia carpit,
Vndarum immenſos immenſis orbibus orbes
Pone trahens, curruque volans, emota tridenti
Turgida per varios diſpergit cærula tractus,
Et pacata iubet fieri, & non cedere ventis.
Mox glaucos abſiſtit equos, ſaltuque ſuperbus
Emicat in ſolium chryſtalli ſidere fulgens:
Et tota in totum ſe majeſtate reponens.
Talibus affatur breuiter ſua numina dictis.
Dij magni pelagi, quorum ſub iure vagantur
Et fluuij & fontes, & ſtagna immenſa, lacuſque
Tuta tenent, audiſtis aquis quæ fata parantur
Quæue vrgent ſortes, ſolers ni cura reſiſtit.
Sanguine cuncta natant, Europæ regna fatiſcunt:
Harpya immanis fuco incruſtata latino

Gallorum magnas infeſtat ſordibus vrbes,
Et iacit infami monſtro Dea funeris offas
E cordis miſerorum altis penetralibus hauſtas,
Et turpes patitur fœda indulgentia mores.
Quicquid ab Arctoo reſtat de vertice mergi
In lymphas, ſaluum eſſe ſalus iubet ipſa deorum.
Inuigilate animis, neque ab hoc abſiſtite ponto.
Hìc cardo rerum, fatorum hìc terminus hæret.
Sic ait, & magnus Stokolmæ proſpicit vrbem
Quà Melere, intentas vtroque a margine Nymphas
Collocat, indicitque locum quem quiſque deorum
Impleat, & vigili ſeſe in ſtatione recondit.
Ecce autem procerum magna comitante caterua,
Viſendi ſtudio ſtantes ad littora puppes
Magnum incrementum belli, paciſue miniſtras,
Procedit Regina vagis fulgentior aſtris,
Sidus & ipſa ſui, cunctique auguſtius orbis.
Ante pudicus Amor, Charitumque exercitus omnis,
Virtuteſque Deûm, gratoque Modeſtia riſu,
Et Fama auratis volitans per inania pennis
Frigentes mulcent auras, & nubila pellunt.
Ventum erat ad pontem tranſtris, tabuliſque repoſtum,
Quà ſeſe ad naues prudens Regina ferebat
Inſpectura domos belli, & præſaga triumphum
Agmina: ſolerti numerum dum mente recenſet
Viribus & magnis magnum ſpe præripit hoſtem,
Sub pedibus crepitans, ſacra & veſtigia linquens
Infamis trabs lapſa ruit, ſubitamque ſub vndas

Deijcit, immeritoſque petens aſpergine vultus,
Sed necdum pauitantem alto rapit alueus æſtu.
Inſcius heu quantum numen premat omnibus vndis
Aut quantam properans ſecum trahat vltio cladem!
Vt reſupina cadens roſeâ ceruice refulſit,
Afflauitque feros oculorum ſidere fluctus,
Inſolita & rigidis incendia miſcuit vndis;
Nereidum properata cohors, Neptunus, & omnis
Turba Deûm, præceps, amens, & territa viſu
Aduolat, atque lacum confuſo turbine complet.
Tanto concurſu diuûm conterritus ille
Aſtitit, & caſu citius, nec clara tuentem,
Quærentemque polo lucem dimiſit, & auræ
Reddidit ætheriæ: quo facto perdita ponti
Numina certatim viresque animoſque reſumunt:
Diuæ & depulsâ refouent ſua corda ruinâ:
Inſultantque vadis, & verſa ad gaudia mente
CHRISTINÆ magnum ſeruatæ numen adorant:
Et mox deſertas repetunt vaſti æquoris vndas.
Interea ad naues vrbs horrida morte futura
Circumfuſa ruit ſingultibus ilia rumpens
Deformi facie, & flauos lacerata capillos.
Implentur clamore viæ: ſuſpenſa reclamant
Littora, & inſanis obſiſtere neſcius æther
Vocibus excitæ turbæ fugit ipſe, nec aura
Ferre valet tumidas tantis de luctibus iras.
Quin etiam caſu ſol qui triſtatus eodem
Pronus ab occaſu verſos temone iugales

Egerat, indignæ turbatus imagine ſortis
Hæret, & attonita miſeros bibit aure tumultus.
Nati natorum, pueri, innuptæque puellæ,
Matres, atque viri, recidiuaque membra reſumens
Segnior, atque annis nuper moribunda ſenectus,
Impoſitique feris iuuenes, quibus igneus æui
Sanguis, & ingentes feruent in pectore vires,
Horrendum lachrimantes, atque immane gementes
Mortem orant, mortemque volunt pro morte paciſci,
CHRISTINAM pontum, terras, cœloſque repoſcunt.
At Regina ſuo demerſos gurgite caſu,
Quos amor in fluctus, ſceptri & reuerentia miſit
Quamquam horrens etiam, madidaque in veſte grauata
Necdum lætantes defunctis ſorte periclis
Regali recreat vultu, mæſtumque timorem
Depellit, caſûſque vetat meminiſſe nefandi,
Atque ſuam illorum ſemper iubet eſſe ſalutem.
Talibus inſtabat miſerans; cùm territa famâ
Bacchantum populorum latè apparuit vnda.
Auditus gemitus, fractique ad littora quæſtus
Ingenti lamento, fœmineoque vlutatu.
Non tulit hanc ſpeciem prudens Regina, ſed vltro
Aduolat, & dicto morituris inſtat, & vrget.
Me me adſum: perij quondam, ſed perdita rurſus
Vos video: redeamus ait, pacemque per aras
Oremus diuos. Nec plura effata, furentes
Siſtit, & in medio reuocans noua gaudia luctu
Sic ſe læta ſuis, atque vrbem reddidit vrbi.

Salue magna Deûm ſoboles: ſaluete beati
Æterna incrementa poli, luciſque redempta
Fulgor, & auguſto radiantes ſidere vultus:
Saluete & nullis regum concuſſa poteſtas,
Et majeſtatis ſacer, & pulcherrimus horror:
Saluete æternum caſtæ ſacraria Veſtæ,
Et cor virgineum nullis penetrabile telis:
Saluete & virtus & dis prudentia maior.
Vos quæ nulla angunt diſcrimina, barbarus hoſtis
Non auſus potuitue animo mouere, nec ignis
Nec ferrum, aut diri ſæua inclementia belli.
Nec formidatæ Neptuno mille carinæ,
Terreat, aut ingens ruituri machina mundi:
Sors nec digna homine, & canibus ſeruanda nefandis,
Heu pudor! heu terræ dedecus pæne abſtulit! Eſto.
Deffuit indigno ſcelerata audacia cœpto.
Debebant illum de ſe tibi fata triumphum.
Viribus ex illo maioribus incubat aſtris
Atlas, & magnam duplicato robore molem
Suſtinet, vt Pylios quando ſuperaueris annos
Securam præſtent tibi lucida ſidera ſedem,
Sidus & Arctoo radiis per inane profundo.

P. DE MARCASSVS.

Z
1058.6

958059

Mei